

PHAEDRI
LIBER SECVNDVS.

AUCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error vt mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
5 Quicumque fuerit ergo narranti iocus,
Dum capiat aurem, et seruet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem seruabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere,
10 Dictorum sensus vt delectet varietas;
Bonas in partes, lector, accipias velim,
Ita: si rependet ipsa breuitas gratiam.
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas:
15 Modestis etiam offerre, quod non petierint.

1. *Exemplis continetur Aesopi genus.*] Genus, aiunt,
esse genus humanum, homines, eosque exemplis
doceri

doceri et institui. Multum sibi placent, qui hanc interpretationem excogitarunt, quam tamen innotuitas plane significationes vocibus tribuere, ostendit Burmannus. Hic ita explicat. *Hoc genus scribendi, quo usus est Aesopus, continetur solis exemplis, id est, fabulis fictis, nec alius ipsi, et qui eius exemplo hoc scribendi genus secuti sunt, finis propositus, quam ut corrigatur error mortalium, et acuat se industria.* Putat autem legendum esse Aesopi hoc genus.

5. *Quicumque.*] Obiiciebatur Phaedro, cum non integras dare fabulas Aesopi, sed suas, atque adeo veras historias interponere. His respondet: nihil interesse lectoris, fabulasne, an veras historias legat, dummodo aurem capiant, et propositum feruent, ut scilicet error mortalium corrigatur. Haec Burmanni fere verbis exposui.

Narranti iocus.] Al. *narrantis*, quod parum discrepat. *Locus* vero et *logus* alium sibi locum postulant.

10. *Dictorum.*] Burm. suspicatur *factorum*, vel *actorum*.

Sensus.] Est quartus casus: *ut varietas dictorum deleat sensus lectorum.*

12. *Ita, si.*] Petit veniam ea lege, *si rependet vel rependit ipsa breuitas gratiam.* Haec emendatio Burmanni est, ceteras consulto praetereo.

FAB. I.

IUVENCVS, LEO BT PRAEDATOR.

Super iuuenicum stabat deiectum leo.
 Praedator interuenit, partem postulans:
 Darem, inquit, nisi foleres per te sumere,
 Et improbum reiecit. Forte innoxius
 Viator est deductus in eundem locum,
 Fero-

Feroque viso, retulit retro pedem,
 Cui placidus ille, non est quod timeas, ait:
 Et, quae debetur pars tuae modestiae,
 Audacter tolle. Tunc, diuiso tergore,
 10 Siluas petiuit, homini vt accessum daret.
 Exemplum egregium prorsus et laudabile.
 Verum est auuiditas diues, et pauper pudor.

FAB. II.

ANVS DILIGENS VIRVM AETATIS
 MEDIAE, ITEM PVELLA.

A feminis vtcunque spoliari viros,
 Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
 Aetatis mediae quendam mulier non rudis
 Tenebat, annos celans elegancia:
 5 Animosque eiusdem pulchra iuuenis ceperat.
 Ambae, videri dum volunt illi pares,
 Capillos homini legere coepere ipuicem.
 Cum se putaret fingi cura mulierum,
 Caluus repente factus est. Nam funditus
 10 Canos puella, nigros anus euellerat.

1. *Spoliari.*] MS. *exspoliari*, teste Gudio.
 2. *Nempe.*] Particulam ironiae vel sarcasmi notam hic esse putat Burmannus, q. d. *cum quotidianum hoc sit, fabulis etiam discere debemus.*
 4. *Tenebat.*] Praeschii coniectura: alii *regebat*, aut *tegebat annos.*
 5. *Animosque.*] Ante hunc versum in multis exemplaribus est nota lacunae: quam tamen suspensionem ipse orationis textus refutat.

FAB. III.

HOMO ET CANIS.

Laceratus quidam morſu vehementis canis
 Tinctum cruore panem miſit malefico,
 Audierat eſſe quod remedium vulneris.
 Tunc ſic Aelopus: noli coram pluribus
 Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent, 5
 Cum ſcierint, eſſe tale culpæ præmium.
 Succellus improborum plures adlicit.

FAB. IIII.

AQVILA, FELES ET APER.

Aquila in ſublīmi quercu nidum fecerat:
 Feles, cauernam naſta, in mediâ pepererat:
 Sus, nemoricultrix, fetum ad imam poſuerat.
 Tam fortuitum feles contubernium
 Fraude et ſceleſta ſic euertit malitia. 5
 Ad nidum ſcandit volucris: Pernicies, ait,
 Tibi paratur, forſan et miſeræ mihi.
 Nam fodere terram quod vides quotidie
 Aprum inſidioſum, quercum vult euertere,
 Vt noſtram in plano facile progeniem opprimat. 10
 Terrore offuſo, et perturbatis ſenſibus,
 Derepīt ad cubile fetosæ ſuis:
 Magno, inquit, in periculo ſunt nati tui.
 Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
 Aquila eſt parata rapere porcellos tibi. 15
 Hunc quoque timore poſtquam compleuit lo-
 cum;

Doloſa

Dolosa tuto condidit sese cauo.

Inde euagata nocto, suspenso pede.

Vbi esca se repleuit et prolem suam,

20 Pauorem simulans, prospicit toto die.

Ruinam metuens aquila ramis desidet:

Aper, rapinam vitans, non prodit foras.

Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,

Felisque catulis largam praebuerunt dapem.

25 Quantum homo bilinguis saepe concinnet
mali,

Documentum habere stulta credulitas potest.

1. *In sublimi quercu.*] In summa parte arboris;
Sic Virgilius lib. VIII. Aen. v. 681.

*Conferunt geminae quercus, intonsaque coelo
Atrollunt capita, et sublimi vertice nutant.*

3. *Nemoricultrix.*] More Graecorum composita
vox, quibus *ὀπιρτρῆς* (a *ὀπίω* *ὀπιρμός* et
ὀπιρνώω dicitur. Vid. Vechneri hellenofexiam,
a me editam, p. 45. Alii tamen, *nemoris cultrix*.

4. *Fortuitum.*] Haec vox penultimam apud
veteres producit, et per synaeresin tamen in versu
hexametro adhiberi potest. vt *gratuitus*.

9. *Aprum insidiosum.*] Bentl. *aprum, insidiosus
quercum vult euertere.*

17. *Tuto.*] Scripti *toto*, vnde Heinf. et Bentl.
toto.

23. *Inedia sunt consumti.*] Bentl. sine necessitate
corrigit: *Inedia sic consumti cum suis Feli atque ca-
tulis cetera.*

26. *Documentum habere.*] Bentl. *documentum
habere hoc (vel hinc) stulta credulitas potest.*

F. A. B. V.

CAESAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
 Trepide concursans, occupata in otio,
 Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
 Sibi molesta, et aliis odiosissima,
 Hanc emendare, si tamen possum, volo
 Vera fabella: pretium est operae attendere. 5

Caesar Tiberius cum, petens Neapolin,
 In Misenensem villam venisset suam,
 Quae monte summo posita Luculli manu,
 Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare: 10
 Ex alticinctis vnus atriensibus,

Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
 Erat restricta, cirris dependentibus,
 Perambulante laeta domino viridia,
 Alueolo coepit ligneo conspergere 15
 Humum aestuantem, come officium iactitans,
 Sed deridetur. Inde notis flexibus

Praecurrit alium in xystum, sedans puluerem,
 Agnoscit hominem Caesar remque intelligit.
 Id vt putauit esse, nescio quid boni. 20

Heus, inquit dominus; ille enim vero adfilit,
 Donationis alacer certae gaudio.

Tum sic iocata est tanti maiestas ducis:
 Non multum egisti, et opera nequicquam perit;
 25 Multo maioris alapae mecum veneunt.

10. *Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare.*] Burmannus ita positam fuisse villam putat, vt ex ipsa fronte prospectus esset simul in Tuscum a dextra,

tra, in Siculum a sinistra. Benteio vero inepta lectio videtur, cum *prospectat* et *prospicit* sensu non differant. Cum itaque in scriptis sit *perspicit*, hoc mutat in *despicit*, ut significetur, villam monte positam Siculum mare e longinquo *prospectare*, Tuscum e propinquo *despicere*, siue desuper spectare.

12. *Linreo pelusio.*] Romani lintea plerumque ex Aegypto accipiebant; etiam viliora. Hic itaque vestitus ordinarius erat atriensium.

13. *Cirris dependentibus.*] Burmannus refert ad *zunicam*, quae fuerit in ima ora simbriata, vel ex qua cirri dependerint. Sunt autem cirri cincinnis similes, *franzen*, *quasten*.

14. *Viridia.*] Ut metro consulatur, ita legendum, non *viridaria*.

16. *Come officium iactitans.*] Scriptum fuit *iactans officium come*, quod primum in leges profodiae peccat, deinde de serui officio non potest dici, quia *comis* est superior in inferiorem, dominus in seruum. Itaque Bentl. legit, *iactans officium leue*: Burm. conicit, *domino officium iactitans*. Idem tamen obseruat, spargendi munus non pertinuisse ad alticinctos atrienses, sed viliores seruos, quod patet ex Cicer. parad. V. c. 2. atque adeo hoc officium potuisse dici *come*, quod vltro, in spem gratiae, ad minus honestum ministerium se demiserit.

20. *Id vt.*] *Id* deest in scriptis: vnde Burm. conicit *inde*, ex vultu Caesaris et sermone cum comitibus.

FAB. VI.

AQVILA CORNIX ET TESTVDO.

Contra potentes nemo est munitus satis:
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.

Aquila

Aquila in sublime sustulit testudinem,
 Quae cum abdidisset cornea corpus domo, §
 Nec vilo pacto laedi posset condita:
 Venit per auras cornix, et propter volans
 Opimam sane praedam rapuisti vnguibus,
 Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
 Graui nequidquam te lassabit pondere. 10
 Promissa parte, suadet, vt scopulum super
 Altis ab astris duram inlidat corticem,
 Qua comminuta facili vescatur cibo,
 Inducta verbis aquila, monitis paruit,
 Simul et magistrae large diuisit dapem. 15
 Sic, tuta quae naturae fuerat munere,
 Impar duabus occidit tristi nece.

13. *Facili cibo.*] Emendatio Bentleiana, Burmanno probata, quia sine hoc epitheto *cibo* otiosum videtur. Potest vero *cibus* hic *carnem* significare, partem testudinis cibo futuram, atque ita vulgata lectio ferri.

14. *Inducta verbis.*] Bentl. *inducta veris aquila monito paruit.*

15. *Large.*] Burm. et Bentl. *largam* praestare putant.

FAB. VII.

MVLI ET LATRONES.

Muli grauati sarcinis ibant duo:
 Vnus ferebat fiscos cum pecunia;
 Alter tumentes multo saccos hordeo.
 Ille onere diues, celsa ceruice eminens, §
 Clarumque collo iactans tintinnabulum:

C

Comes

Comes quieto sequitur et placido gradu.
 Subito latrones ex insidiis aduolant,
 Interque caedem ferro mulum trusitant:
 Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum,
 10 Spoliatus igitur casus quum feres suos,
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.
 Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
 Magnae periculo sunt opes obnoxiae.

4. *Ille onere diues.*] Bentl. verbum deesse videns, legit: *Ille opere diues celsa it ceruice eminent.* Sed hoc ex primo versu, ubi *nulli ibant duo praecessit*, subaudiri potest.

5. *lactans.*] Perottus scripsit *iactat*, vnde suspicor, praecedente versu eundem legisse, *eminet*. Ita iam Richterius voluerat.

6. *Comes quieto sequitur.*] Bentl. temere, *comes quietus sequitur et placido gradu*. *Quietus gradu* discernitur ab altero, qui *trinnabulum collo iactabat*; *placido vero* ab eodem *celsa ceruice eminente*.

8. *Interque caedem.*] Dum miliones occiduntur. Quanquam et verbera et vulnera, quae mors non sequitur, *caedes* dicuntur, quod multis exemplis probat Burm.

Trusitant.] Scripti *trucitant* quod iambici versus metrum respuit. *Trusitant* plerique, alii *tunstant*; *tonstant* Gronouius, Heinf. et Bentl. *sau-ciant*, Burmann. *lancinant* coniecit. Perottus *sau-ciant*, vt recte coniecerant Heinf. et Bentl.

12. *Laesus vulnere.*] Perott. *passus vulnera*, vt Ouid. Lucan. et Virg. Aen. VI. 660.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passus.

FAB. VIII.

CERVVS ET BOVES.

Ceruus nemorosus excitatus latibulis,
 Vt venatorum fugeret instantem necem,
 Caeco timore proximam villam petit,
 Et opportuno se bubili condidit.
 Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
 Infelix, vltro qui ad necem cucurreris,
 Hominumque tecto spiritum commiseris?
 At ille suplex. Vos modo, inquit, parcite,
 Occasione, rursus erumpam, data
 Spatium diei noctis excipiunt vices. 10
 Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt:
 Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
 Nemo animaduertit: transit etiam villicus,
 Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
 Dobus quietis agere coepit gratias, 15
 Hospitium aduerso quod praestiterint tempore.
 Respondit vnus: Saluum te cupimus quidem;
 Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
 Magno in periclo vita vertetur tua.
 Haec inter ipse dominus a coena redit, 20
 Et quia corruptos viderat nuper boues,
 Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?
 Stramenta desunt? tollere haec aranea
 Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
 Cerui quoque alta est conspicatus cornua, 25
 Quem conuocata iubet occidi familia,
 Praedamque tollit. Haec significat fabula,
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

2. *Vi venatorum fugeret instantem necem.*] *Necom venatorum* est mors a venatoribus interenda. Multa nomina actiuam et passiuam simul habent significationem, vt *iniuria*, *inuidia*, *metus*, *pudor*, *cer* era.

4. *Bubili.*] In M. S. erat *bobili*, quod multi in *bouili*, Gudius et Burm. in *bubili* mutant.

7. *Hominumque recto.*] Perott. *hominisque*, quod probo. *Dominum* significant.

15. *Bobus quietis.*] Bentl. *quietus*. Sed *quietis* est tacitis, qui voce non prodiderant.

16. *Quod praestiterint.*] Perott. *quia praestarent*. Nondum exierat *cervus*.

24. *Quantum est laboris.*] Recte: Heinsius tamen et Bentl. *quanti est laboris*.

25. *Est conspicatus.*] Perott. *melius alta conspicatur cornua*.

27. *Tollit.*] Heinsf. *tolli*.

EPILOGVS.

Aesopi ingenio statuum posuere Attici,
 Seruumque collocarunt aeterna in basi,
 Patere honoris scirent vt cunctis viam,
 Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
 Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
 Ne solus esset, studui; quod superfuit.
 Nec haec inuidia, verum est aemulatio.
 Quod si labori fauerit Latium meo,
 Plures habebit, quos opponat Graeciae.
 Si liuor obtrectare curam voluerit,
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
 Et arte fictas animus sentit fabulas:

Omnem

Omnem querelam submouet felicitas.
 Sin autem, ac illis doctus occurrer labor, 15
 Sinistra quos in lucem natura extulit,
 Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere:
 Fatale exitium corde durato feram,
 Donec fortunam criminis pudeat sui.

1. *Aesopo ingentem statuam.*] In M. S. fuit *Aesopi*, unde, *Aesopi ingenio statuam posuere Attici*, legendum esse, Gudius, Bentl. Burni. consentiunt. Confirmavit hoc tandem codex Perotti. Al. *Aesopo ingenii statuam*.

3. *Cunctis.*] Etiam barbaris, ex quibus *Aesopus*. Al. *cuncti*, ne desit nomen ad *scirent*. Sed sollemne Latinis, *homines* subaudire. Vid. Vechneri hellenolex. p. 120. ex mea editione. Bentlei. *Patere honori scirent ut cuncti viam*, quod in M. S. fuit *homini pro honoris*. Aliud vero est *honori patet via*, aliud *honoris*.

5. *Quoniam occupavat alter.*] Ante hunc versum in quibusdam exemplaribus alterisci, omisi versus alicuius signa, apparent. Sed nihil deesse, ex orationis contextu apparet. Maior lacunae suspicio est infra post v. 11.

12. *Ad aures peruenit tuas.*] Illum intelligit, ad quem hunc librum scripsit.

15. *Sin autem.*] Vetus lectio est: *Sin autem ab illis doctus occurrer labor*. Post multas infelices doctorum virorum emendationes ingenue fatetur Burmannus, *se non intelligere haec*.

17. *Nec quidquam possunt.*] Qui nihil possunt; Hunc versum a mala manu esse censet Bentleius, sed adhuc solus.